

5063
Univ.-Bibl.
Gießen

Jahresbericht

über das

KARL-FRIEDRICHS-GYMNASIUM

zu

EISENACH

von

Ostern 1866 bis Ostern 1867

ERSTATTET

von dem Director

Dr. Karl Hermann Funkhänel,

Grossherzoglich Sächsischem Hofrath und Ritter des Ordens vom weissen Falken I. Abth.



Voran steht

eine Abhandlung des Prof. Dr. Gustav Schwanitz:

Quaestionum Platoniarum

Specimen III:

PLATONIS DE ANIMORUM MIGRATIONE OPINIO.

Eisenach.

Druck der Hofbuchdruckerei.

Jahresbericht

über die

KARL-FRIEDRICHS-GYMNASIUM

an

HERFORD

von

Ostern 1866 bis Ostern 1867

ERSTLT

von dem Director

Dr. Karl Hermann Fehling

Druck und Verlagsanstalt von Fehling & Co. in Herford



1867

die Abhandlung des Prof. Dr. Gustav Schwanitz

Questionum Palaeontologicarum

Herford, W.

PLAZIS DE AEMORU WIRE (1867-1868)

Herford

Druck der Herfordischen Druckerei



QUAESTIONUM PLATONICARUM

Specimen III:

Platonis de animorum migratione opinio.

I.

Platonis celebratum dialogum, Phaedonem, legentes incidimus in Socratem familiares sermones conferentem cum amicis ante obitum prope instantem. Postquam autem Socrates, ut instituerat, in exordio quaestionis, in qua versatur, copiosissime demonstravit, virum sapientem aequo mori animo, evincere deinde studet, „animum post mortem quoque manere superstitem et usque vi vitali atque intellegentia praeditum esse“. ¹⁾ Quam opinionem ut amicis suis probet, varia in medium profert argumenta. Incipit autem a consideranda mutationis vicissitudine eaque demonstrat, contraria prodire ex contrariis itaque animum non interire sed mutare tantum statum et conditionem suam: e vita fieri mortem, ut e vigilia somnum, et perinde ut somno vigilia succedat, ita mortem vitam necesse sequi. ²⁾

Hoc fere est primum, quo animi immortalitatem nos doceat Plato, argumentum gravissimum (Phaedon. p. 70 C—72 D). ³⁾ Alterum, quod huic addit, repetiit philosophus p. 72—77 a certis rerum notitiis, quae jam, priusquam homo nasceretur, exstitissent et cum animo in corpus introiissent humanum. Ad experientiam enim provocat et omnem nostram scientiam nihil aliud esse nisi recordationem graviter contendit.

Sed etiam secundo hoc argumento non contentus est Plato: non acquiescit in eo, et cur sic opinetur, tertiam rationem subjicit p. 78—80. Probare enim incipit, animum natura sua ita esse comparatum, ut omnino desperare non possit. Quod ut demonstret, in duo genera res dividit universas, alterum compositarum, alterum vero non compositarum ⁴⁾: ad illud, quae in sensus cadunt, pertinent omnia, ad hoc ea referuntur, quae neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi possunt. Omnes igitur res corporeae mobiles sunt et inconstantes, quae vero intellectu solo cognoscuntur, aeternae et indissolubiles sunt habendae. In harum numero deum posuit Plato atque ideas iisque animos a corpore diversos adjunxit, quos immortales et sempiternos esse ipsa eorum natura ostendere conatur ⁵⁾: argumentum, quod defendit, non parvi momenti ei est ad persuadendum.

¹⁾ Godfr. Stallbaumii prolegomena ad Phaedonem. Lips. 1866. p. 36.

²⁾ F. Gloel, de argumentorum in Platonis Phaedone cohaerentia. Magdeb. 1863. p. 10.

³⁾ Cf. Zeller, Geschichte der Philosophie der Griechen, ed. II 1859, c. II. p. 531 annot. II: die Beweise für die Unsterblichkeit, welche der Phädo aufführt, sind nach ihrem eigentlichen Gehalte nicht eine Wahrheit verschiedener Beweise, sondern nur ein Beweis, der in verschiedenen Stadien im Fortschritt vom unmittelbaren und bloß analogischen zum begrifflichen und vermittelten Wissen entwickelt wird.

⁴⁾ Fr. Pettavel de argumentis quibus apud Platonem animorum immortalitas defenditur. Berol. 1825. p. 32.

⁵⁾ G. Stallbaum l. c. p. 41.

Tertio hoc argumento absoluto progreditur philosophus ad mythum, qui in Phaedone inest, primum, quo quae animi post mortem conditio sit, exponat p. 80 C — 84 E.: arcte enim cohaeret haec fabula cum ea opinione, quam modo de animi immortalitate in medium protulerat.

Ubi, inquit Socrates, homo mortem obiit, corpus, quod spectabile est cuique, ut dissolvatur, convenit, satis diu tamen conservatur, et si quis in ipso aetatis flore mortuus fuerit¹⁾, vel hac aetate per diu superest: immensum vero tempus corpus manet integrum, si, quod Aegyptii facere consueverunt, arte condiuntur mortui: quia etiam si putrescat corpus, nonnullae ejus partes, nervi, ossa, immortalia prope sunt habenda. Si vero corpus ita comparatum est, velim tibi persuadeas, animum quoque purum, nobilem quique cerni non possit, migraturum esse ad bonum sapientemque deum, neque hoc verum est, quod multi opinantur, animum a corpore liberatum et dissolutum et dissipatum protinus esse interitum. Imo potius, si animus purus discesserit, corporeum nihil secum trahens, quia ne minimam quidem cum corporibus habuerit contagionem, tum ad divinum sibi simile, immortale, sapiens se conferet, atque illo cum pervenerit, felix erit, errore, dementia, saevis cupiditatibus ceterisque malis humanis liberatus, et quemadmodum de initiatis dicere solemus, cum diis reliquum tempus vitam aget beatam. Quodsi vero pollutus et impurus a corpore decedat, quippe qui humanis se vitiis contaminaverit libidinibusque se dederit effusis atque effrenatis, is animus non per se ipsum integer evadet, sed propter consuetudinem, quam cum corpore tenuit, gravatur ab eo et ad spectabilem retrahitur locum atque circum monumenta et sepulcra errare et vagari cogitur, donec naturae corporeae cupiditate rursus corpus induat. Animi vero, qui ita poenas dant, ejusmodi mores imitantur, quales antea in vita exercuerunt.

Ii igitur homines, qui ventri dediti per lasciviam et inertiam vitam egerunt, in asinos iisque similia animalia convertuntur, alii autem, qui injurias, tyrannides, rapinas prae ceteris expetiverunt, in lupos, accipitres, milvos abeunt, atque pro similitudine morum alii in alia belluarum genera. Ii vero, qui popularem civilemque virtutem quique temperantiam et justitiam sine philosophiae studio usu comparatam exercuerunt, in genus quoddam mite se vertunt, in apes et vespas et formicas, vel etiam deinde iterum in genus humanum. In deorum autem genus — quod dixi — nulli fas est pervenire nisi iis, qui philosophati sunt et discendi cupiditate flagrantibus plane puri decesserunt. Hi enim neque rei familiaris jacturam timent, ut ii, qui pecuniae cupidi sunt, neque contemptum metunt et ignominiam aerumnosae vivendi rationis, ut ii, qui ambitione quadam ad honorum studium ducuntur. Quamobrem, qui animum maxime curae habent, non eandem viam ingrediuntur quam illi, qui omnes suas cogitationes in corpus conferunt colendum: nam philosophis persuasum est, in corpore tanquam carcere quodam vinctum teneri animum illique quasi agglutinatum esse. Atque ut paucis verbis iterum rem comprehendam, philosophi animus se liberare studebit corporis societate neque se regi patietur cupiditatibus, quibus quasi clavo corpori affigitur, neque impurus migrabit ad inferos, sed verum semper tuens et divinum post mortem ad eos animos perveniet, qui sibi cognati sunt.

En habes Platonis de metempsychosi opinionem, qualis in primo Phaedonis mytho continetur. Eodem deinde philosophus in secunda fabula redit, quam a p. 108 C usque ad 114 C enarratam legimus. Quarto enim argumento asseveraverat, contraria non se invicem recipere animumque igitur, qui vitam corpori afferat, formam illi adversantem non admittere et inde immortalem nec unquam interitum esse. Nunc vividis coloribus depingit hominum variam, qua post mortem utantur, et diversam conditionem. Neque dissentit Plato in altero, quem nobis adumbravit, mytho cum illo, quem antea exposuerat, in utroque enim eadem sententia inest, bonorum animos divinae participes fore vitae, malorum contra in eo statu permansuros, qui naturae suae respondeat, si ab eo discesseris, quod in primo mytho animus cupiditate sua ad renovatam cum corpore conjunctionem ducitur, in secundo necessitas quaedam dominatum tenet.²⁾ In hoc autem distinguuntur tres terrae regiones, quarum „mediam nos incolamus, superiorem

¹⁾ Ita interpretatur verba graeca G. Stallbaum. in edit. p. 171.

²⁾ A. Bischoff, Plato's Phädon. Erlangen 1866. p. 212: — Denn im Wesentlichen liegt doch beiden Mythen die

aetheri vicinam et mire pulcram pii aliquando inhabitaturi sint, inferior denique, tristis, horrida impiorum manibus sit destinata¹⁾ Etenim simulac defuncti in eum locum venerunt, quo a daemone quisque perductus est, et qui sancte vixerunt et qui aliter, iudicium suum subeunt. Qui vero in vita medium quoddam tenuisse reperti sunt quique igitur neque insigniter improbi neque eximie sancti et probi fuerunt²⁾, in paludem descendunt Acherusiam ibique habitant et de injuriis, quas fecerunt, purgantur et absolvuntur itemque singuli quique pro meritis praemia reportant. Qui autem scelera tam nefaria commiserunt, ut insanabiles esse videantur, quique sacrilegia multa et magna vel caedes pataverunt, hos omnes sors, quae iis convenit, conjicit in Tartarum, alii contra, qui magnis sed sanabilibus astringuntur sceleribus, necessitate eadem quidem coacti in Tartarum detruduntur, sed anno peracto ad paludem Acherusiam perveniunt eosque, quos necaverunt vel injuriis affecerunt, implorant et obtestantur, ut ipsos sinant progredi per paludem et culpa absolvant. Venia impetrata palude exeunt eorumque malis finis affertur: si vero iis non ignotum est illique sceleris poenam non praetermiserunt, in infimum, quem commemoravimus locum, in Tartarum rursus dejiciuntur ibique commorantur tam diu, donec eos, quos laeserunt exoraverint: haec enim poena a iudicibus constituta est³⁾. Longe meliore autem conditione utuntur, qui praeter ceteros integerrime vitam egerunt. Locis, qui in terra sunt, tanquam carcere liberati, in supernas illas regiones puras et divinas ascendunt ibique habitant: qui denique philosophia sunt purgati, per totum reliquum tempus corporibus vivunt soluti et in sedes illis etiam pulchriores transeunt, quae non facile sunt indicandae quibusque describendis tempus non sufficiat. Sed jam horum, quae diximus gratia nihil, inquit Socrates, nobis intentatum relinquendum est, ut virtutem consequamur et temperantiam, nam praemium pulchrum est et spes magna.

Ita in altera hac fabula agitur de futuro animorum statu atque animorum migratio certe significatur. Sed etiam in dialogo, qui diu ante Phaedonem scriptus est, in Phaedro notam et apud veteres scriptores pervulgatam opinionem reperimus. Celebravit autem Plato illustri oratione pristinam animi indolem: „quam sane descriptionem haud temere dicamus, exordium esse sublime et quasi προοίμιον universae philosophiae Platonicae. Nec sane quid fingi poterat, quod excelso philosophi proposito aptius esset et convenientius. Nam cum statueret, animos hominum ex alia quadam vita in haec corpora migrasse, tribueretque philosophiae gravissimum munus, ut eos restitueret in pristinam conditionem, conditionis illius perfectae perfectum adumbrandum erat exemplar, quod intuentes philosophi in eoque penitus defixi, ad ejus similitudinem et semet ipsos et alios informarent.“⁴⁾ Atque poetica simul et

gleiche Vorstellung zu Grunde, dass die Seelen der Guten in ein göttliches Leben, d. h. zu einem von den Schranken der Sinnlichkeit befreiten Dasein und Fürsichsein gelangen, die Seelen der Schlechten dagegen in einem ihrem Begehren und ihrer Neigung entsprechenden Zustand verharren, nur dass es ihnen theils an Stoff fehlt zur Befriedigung ihrer Lust, theils diese selbst durch die Art, wie sie dieselbe befriedigen müssen, ihnen zur Strafe wird. Dass es in dem früheren Mythos die Begierde ist, welche die Seele der Schlechten zu neuer Verbindung mit dem Körper treibt, hier aber die *ἀνάγκη*, ist keine wesentliche Verschiedenheit, da beides, die *ἀνάγκη*, die physische Nothwendigkeit, und die Begierde, der blinde nur dem Gebote der Sinnlichkeit folgende Naturtrieb, sich sehr wohl als Eines fassen lässt. Dass aber der Seelenwanderung hier nicht so ausführlich gedacht wird, wie dort — denn angedeutet wird sie allerdings —, kann nicht befremden, weil in dem früheren Mythos das Verhältniss der Seele zum Leib das Wichtigste war, um welches sich die ganze Schilderung bewegte, während hier der Zustand der Seele nach dem Tode im Allgemeinen dargestellt werden soll.

¹⁾ G. Stallbaum. praef. 54.

²⁾ G. Stallbaum. qui recte explicat verba μέσως βιβιωμέναι, citat l. de Legg. 907 A: ἀνθρώπων μέσων εἶναι φησόμεν, οἳ τὸ δίκαιον οὐκ ἂν ποτε προδοῖεν ἕνεκα δόξης.

³⁾ Cf. Gorg. fabulam p. 523 A—526 C, ubi eodem modo a iudicibus sententia fertur, utrum animi sanabiles sint necne. Sanabiles corriguntur, insanabiles in summum dantur cruciatum; qui vero probe vixerunt, quod philosophis potissimum contingat, ad insulas beatorum mittuntur. In Timaeo p. 42 B, qui vitam suam bene transegerunt, in familiare sibi sidus revertuntur, ut ibi aetatem degant beatam: quam qui non assecuti sunt, in secundo ortu mulieris recipiunt naturam. Si deinde non desistunt improbitate abstinere, pro moribus animalium induunt naturam, quoad rationi sint obediētes. Cf. praeterea Theaetet. p. 176 B sq. Legg. X p. 908 D.

⁴⁾ v. Heusde, initia philosophiae Platonicae. Traj. ad Rh. vol. I, p. 86.

philosophia est haec beatæ vitæ descriptio, quæ vix reddi et exprimi potest. (Phaedr. p. 245 C—245 A). Animus vero etiam in Phaedro est immortalis, quippe qui principium motus sui in se ipso habeat¹⁾. Comparatur deinde animus cum bigis alatis eorumque auriga. Aurigæ imagine significatur ratio, cuius summum in homines est imperium, alter equus bonus atque generosus ostendit τὸ θυμοειδές, quod rationi obsequitur libenter, alter eodem imaginis involucro significatur τὸ ἐπιθυμητικόν, quod ad pravæ rationi obsequitur libenter, alter eodem imaginis involucro significatur τὸ ἐπιθυμητικόν, quod ad pravæ rationi obsequitur libenter. Ut autem deorum animi, ita hominum alis aliquando fuerunt instructi. His in altum sublatis in deorum sedes ascenderunt, multi vero eorum ad verum ibi spectandum non perveniunt et fractis alis in terram lapsi sunt de coelo²⁾. Tum in prima generatione pro sua quisque natura terrena induerunt corpora, sed nondum in animalia transeunt. Etenim alii, qui maxime sunt versati in expetendis rebus divinis in eos migrarunt, qui postea nati sunt sive philosophi, sive pulchritudinis cupidi, sive musici et amatorii, alii deinde in regem decedunt legitimum, aut in virum bellicosum et imperatorium, tertio loco alii in rerum civilium studiosum, aut rei familiaris administrandæ aut quaestus faciendi peritum, quarto in gymnasticum laborum amantem aut in eum, qui medicinam facitabit, quinto in eum, qui vaticinationi aut mysteriis operum dabit, sexto in poetam aut alium quemvis eorum, qui apte in imitatione versantur, septimo in opificem aut agricolam, octavo in sophistam et popularem, nono denique in tyrannum. Atque hi omnes, quicumque sancte se gesserunt, postea meliorem nanciscuntur sortem, qui contra injuste, sortem deteriore ducent. Neque in eandem, a qua profectus est, conditionem revertetur animus decem milibus annorum nondum peractis, animis exceptis eorum, qui primæ classis sunt adscripti quique jam post tertium ambitum mille annorum recuperatis alis evolantes abeunt: ceteri enim, qui in numero reliquarum octo classium referuntur, post primæ vitæ finem iudicium subeunt atque partim poenas dantes sub terram tendunt, partim iudicio absoluti in coelum elevantur et illic vitam agunt honestam et pristinae convenientem. Anno vero millesimo præterito ambo inde revertuntur et eam vitam deligunt secundam, quæ iis grata sit. Tum animus humanus transit in bestiam, et si olim animus hominis fuerat, in hominem iterum mutatur.

Talis est descriptio migrationis animorum, qualem in Phaedro deprehendimus. Atque si facile largiri possumus, magnam partem eam quadrare ad priorem, discrimen tamen in eo cernitur, quod in Phaedro illam relatam videmus jam ad vitam nostræ præcedentem, in Phaedone contra migrationis post hanc nostram vitam mentio fit, neque non differt in eo alter dialogus ab altero, quod in Phaedro etiam tempus, quo μετεμψύχωσις locum habeat, constitutum est atque definitum³⁾.

Atque tempus quoque præscriptum est in decimo libro Reipublicæ⁴⁾. Etenim quum docuisset Socrates, a diis amari homines justos, contrarium accidere injustis, de poenis verba facit et de præmiis, quæ homines maneat post mortem. Sequitur deinde Eris Armenii narratio, qui quæ viderit apud inferos, nobiscum communicat. Hic enim Er in proelio occisus, putrescentibus jam aliis, decimo

¹⁾ G. Stallbaum. prolegg. ad Phaedr. p. VI.

²⁾ v. Heusde l. c. p. 90, 91.

³⁾ A. B. Kriche über Platons Phädrus. Göttingen 1817. p. 66: — während er (Plato) im Phädon nur von langen Zeitläufen redet, dagegen in der Politie die jedesmalige Wanderung tausendjährig sein lässt. Die Bestimmungen der ganzen Periode wurden von den Anhängern der Metempsychose verschieden angegeben; die Aegyptier beschränkten sie auf 3000 Jahre; Empedokles setzte dagegen die Verbannung seiner Dämonen auf 30000 ὄρα, d. h. nach der zu Grunde liegenden Dreizahl auf 10000 Jahre an. Wenn Plato hiernach gleichfalls 10000 Jahre annimmt, so darf dieses nicht auf eine bestimmte astronomische Periode, den μέγας ἐνιαυτός, zurückgeführt werden, weil der ganze Ansatz wiederum durch die heilige Dekas bedingt ist; in der Politie bestimmt er die Länge des menschlichen Lebens auf 100 Jahre und lässt die Seele in der jedesmaligen Wanderung die Busse zehnfach büßen; darum soll auch im Phädrus die Seele nicht unter 10000 Jahren zurückkehren, also überhaupt zehnmal die Wanderung antreten, ehe sie heimkehren kann, oder ehe sie wieder besiedelt wird. cf. Backhuizen van den Brink, variae lect. philosophiæ antiquæ. Lugd. Batav. 1842, p. 31 sq., ubi inprimis de Empedoclis voce ὄρα quaestio instituta est.

⁴⁾ De tempore in Timæo finito v. A. B. Kriche l. c. p. 69. H. Martin, études sur le Timée de Platon, Paris 1841. P. I. p. 150.

die integer repertus ac duodecimo rogo impositus, postquam in vitam rediit, haecce spectasse sese memoriae prodidit (Rep. p. 614 B—621 A)¹⁾. Veni, inquit, simulatque animus e corpore exiit, una cum multis in locum quendam divinum et ad duos terrae hiatus, quibus item duo in coelo oppositi erant. Inter hos sedebant iudices inferorum, qui causa cognita justos ad dextram et sursum per coelum proficisci jubebant, signis in pectore affixis, injustos autem ad sinistram et deorsum ablegabant omnium factorum post tergum signa gestantes. Atque ego, cum accessissem, jussus sum et audire et spectare omnia eorumque hominibus nuntium afferre. Tum vero per utrumque coeli et terrae hiatus animi abierunt, partim ex terra ascendentes squalore et pulvere pleni, partim puri descendentes e coelo. Quicumque autem advenerunt, e longo quasi itinere appropinquare videbantur et in pratum sese conferentes tanquam in festo coetu recubuerunt²⁾. Narraverunt deinde alii dolentes et flentes et recordantes, quanta perpessi essent in mille annorum itinere subterraneo, alii, qui e coelo descenderant, delicias et pulchritudinis spectacula depinxerunt. Utrique autem iter confecerunt centenis quibusque annis, quantum est vitae humanae spatium, ut decemplicem injuriae poenam subirent, qui scelera quondam commiserant, itemque qui justitiam et probitatem coluerant, decemplici praemio afficerentur. Exactis autem mille annis, postquam septem dies quieti in prato dederunt animi, octavo iis in locum quendam excelsiorem erat ingrediendum. Tum Parcis praesidibus fatorum interpretes, sortibus et vitarum exemplis e Lachesis gremio sumtis, de tribunali pronuntiavit³⁾: Animi caduci, incipit alius mortalis generis mortifer circuitus. Non vos daemon sortietur, sed vos potius daemonem eligetis. Qui primus sortem ceperit, is primus eligito vitam, in qua ei manendum erit. His dictis sortes omnibus projecit, et quivis eorum, quae sibi proxima erat, arripuit. Deinde quoque vitarum exempla et hominum et animalium diversissima fatorum interpretes in solo posuit: alii superioris vitae studio ducti vel eandem vel certe ei similem expetiverunt, alii vero non hominum sed animalium elegerunt vitam, itaque Orpheus animum vidi cynci, Thamyris luscinae vitam adoptantem. Quo facto ad Lachesis accesserunt, atque postquam in campum profecti sunt Lethaeum, biberunt e flumine Amelita, quo omnium rerum memoriam delerent. Cum vero ad mediam noctem dormivissent, tonitru et terrae motu excitati ad novam prosiluerunt generationem. Atque equidem, quominus haurirem e flumine, prohibitus sum neque scio, quomodo redierim in corpus, sed subito mane circumspectans me rogo vidi impositum⁴⁾.

II.

„Πυθαγόρας πρῶτος ἐν Ἑλλήσιν ἐνόλησεν εἰπεῖν, ὅτι αὐτῷ τὸ μὲν σῶμα τεθνήσκειται, ἡ δὲ ψυχὴ ἀναπιᾶσα οἰχίσεται ἀθανάτης καὶ ἀγήρωσ· καὶ γὰρ εἶναι αὐτὴν πρὶν δεῦρο ἤκειν.“⁵⁾ Atque quis neget, hanc totam de animorum immortalitate et migratione opinionem pendere e philosophi Samii vel Orphicorum fabulosorum decretis? (Chr. A. Lobbeck, Aglaophamus sive de theologiae mysticae Graecorum causis. P. II, l. II, c. III, p. 795 sqq.). Sane quam Pythagorae vestigia Plato pressit neque solum doctrinam de immortalitate ab illo sumpsit, sed etiam cum hac cohaerentem μεταμηνχώσεως opinionem et e Pythagorae

¹⁾ Tiedemanni dialogorum Platonis argumenta p. 235. G. Stallbaum, h. l. observavit, omnes, qui Eris personae mentionem fecissent, e nullo alio fonte hausisse nisi e Platonico. Clemens Alex. (Strom. V, p. 598, D. T. II, p. 710) hunc Erem Persarum Zoroastrem fuisse sane non credibiliter contendit. Cf. quoque de Ere G. Irhovii de Palingenesia veterum l. III, Amstelod. 1733. p. 348 sq.

²⁾ Fr. Ast. annotationes in Phaedrum vol. I, p. 422: Hoc pratum etiam τὸ ἀληθείας πεδῖον vocatur vel ἀρετῆς λιμὼν. Cf. libros, quos de hoc prato citavit Astius et Gorg. p. 524 A, Phaedr. p. 248 B, ubi hoc pratum commemoratur, in quo iudices pro tribunali dicant.

³⁾ Tiedemanni argumenta p. 236.

⁴⁾ De tota Eris narratione v. I. Friesii histor. philosoph. vol. I, p. 331.

⁵⁾ Maxim. Tyr. diss. 287 (not.).

atque Orphicorum et e sacerdotum aegyptiorum fontibus hausit. Sine dubio autem, si animorum tantum migrationem respicimus, cum ab aliis locis discesserimus, jam verbis, quae in Gorg. 493 A et in Cratylo 400 B reperiuntur, ad Pythagoram fortasse relegamur¹⁾, atque ea, quae de natura deorum et hominum in Phaedro aliisque dialogis traduntur, ut illa *ξέρμενος δύναμις ὑποπτερον ζέγονος τε καὶ ἡμιόχον* ab iisdem petita sunt Pythagoreis. Accedit, quod gravissimum quoque placitum de animorum immortalitate jam Pythagorae magister Pherecydes docuisse fertur, cujus opinionem deinde, ut veteres narrant, Pythagorei multis firmarunt argumentis (Groen v. Prinsterer, prosopographia Platonica p. 57 sqq.). Ut alios taceamus, documento etiam est Philolaus ille Tarentinus vel Crotoniates, cujus in Phaedone (p. 61 D) Plato mentionem fecit, quemque de immortalitate animi disputavisse et τὸ μὴ θνητὸν εἶναι ἐαυτὸν βιάζεσθαι docuisse opinati sunt scriptores veteres. Documento sunt deinde Thebani illi Cebes atque Simmias, quos cum Socrate de immortalitate colloquentes introducit philosophus quique Thebis a Philolao aliquam philosophiae Pythagoricae imbibere notitiam. Atque quamvis sit ambigendum, num Pythagoreorum fragmenta, quae ad nos pervenerunt, non prorsus supposita sint, librorumque, qui a Philolao nomen trahunt, integritas recte fortasse addubitetur²⁾, opinio nostra, qua conjunctionem quandam Platonem inter existere et Samii discipulos, omnino non labefactabitur. At certa, quaeque nihil habeant dubitationis, de doctrina Pythagorica afferri non possunt, praesertim cum scholae auctor nihil scriptum reliquerit³⁾. Itaque jam Porphyrius confessus est (§ 53, edit. Kiessl. p. 88), scriptores, qui Pythagorae edidissent dogmata, fidem habere nullam alique cum eo consenserunt. Licet vero nihil certi habeamus de philosopho Samio, nobis tamen refugiendum erit inprimis ad posterioris aevi auctores⁴⁾, qui, quamquam non ignoramus, in iis vera cum falsis esse mixta, cognitionem quandam et scientiam nobis comparant de Pythagorae et Pythagoreorum metempsychosi. Atque Diogenes Laertius in vita, quam scripsit, Pythagorae, hunc testatur dixisse, animum, quum per circulum necessitatis permeet, aliis alio tempore illigari animantibus (Diogen. Laert. l. VIII, 14, edit. Huebn.: *πρωτόν τε φασὶ τοῦτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμειβόνσαν ἄλλοις ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζώοις*) eundemque philosophum post ducentos et septem annos ex inferis ad homines venisse: ipsius dogmata usque ad Philolai tempora fuisse ignota. Eodem fere modo, ut unum citemus ex Neoplatonicis, Jamblichus monita nonnulla Pythagorae ad nos defert iisque deinde illud philosophi addit praeceptum, quo animum humanum in ea sola animalia non ingredi doceamur, quae mactare fas sit et liceat. (Jamblich. de vita Pythagor., edit. Kiessl. t. I, § 85: *εἰς μόνα τῶν ζώων οὐκ εἰσέρχεται ἀνθρώπων ψυχὴ, ἃ θείμεις ἐστὶ τυθῆναι*.) Secundo deinde loco Jamblichi discimus Pythagoram, quinam sit animus undeque in corpus venerit, vitaeque ante actae clara dedisse

¹⁾ Cholava, das Pythagoreische in Platon. Krakau 1859 p. 3: Für uns steht nun die Ueberzeugung fest, dass Platon im Gorgias ziemlich umständlich die Ansichten der Pythagoreer kannte und aus ihnen für diesen Dialog soviel entlehnte, als er gerade für seinen Zweck bedurfte. Jetzt kann uns nichts hindern, das, was Gorg. 493 A ist, ebenfalls auf die Pythagoreer zu beziehen, wenn wir nur darthun werden, dass bei diesen sich etwas Aehnliches vorfand. Vorerst die Worte: *ἄπερ ἤδη τοῦ ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶς, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ μὲν σῶμα ἐστὶν ἡμῖν σῆμα κ. τ. ἔ.* Etwas Aehnliches haben wir im Kratylos 400 B, wo es heisst: *καὶ γὰρ σῆμα τινὲς φασὶν αὐτὸ (τὸ σῶμα) εἶναι τῆς ψυχῆς, ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι*, und weiter leitet es Platon grösstentheils von den Orphikern ab: *δοκοῦσι μέντοι μοι μάλιστα θεῖσθαι οἱ ἀμφὶ Ὀρφεία τοῦτο τὸ ὄνομα, ὡς δίκην διδοῦσης τῆς ψυχῆς*. Dass hier neben den Orphikern noch andere verstanden werden, darauf führt uns der Ausdruck *μάλιστα*, und dies waren Pythagoreer.

²⁾ E. Zellerum, qui magnam fragmentorum Philolai partem fide dignam iudicaverat (Philosoph. der Gr., vol. I, p. 211. 241) et maxime A. Böckhium, qui omnia, quae Philolai nomen habent, fragmenta genuina censuerat (Philolaos des Pythagoreers Leben von A. Böckh.), C. Schaarschmidtus sane non levibus impugnavit argumentis. (Die angebliche Schriftstellerei des Philolaos und die Bruchstücke der ihm zugeschriebenen Bücher, Bonn 1864.)

³⁾ Porphyrius (edit. Kiessling. t. II, § 57) *περὶ τοῦ βίου Πυθαγόρα λόγος*: οὔτε γὰρ τοῦ Πυθαγόρου σύγγραμμα ἦν. C. Rittershusius (not. in Porph. p. 264) recte emendavit οὔτε γὰρ et conjecturae suae addidit: Pythagoram vero nullum reliquisse posteritati proprium a se scriptum opus, alii quoque testantur auctores: quamvis eos *διαπαιζοντας* vocet Diogenes Laert., eosque refellat auctoritate Heracliti, qui Pythagorae imitatione tria scripsit opera.

⁴⁾ Unum de antiquis philosophis excipimus, Aristotelem, de Anima I, 3, ubi verba: *κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους τὴν τυθοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδεῖσθαι σῶμα*.

documenta (Jamblich. § 134: *ὅτι δὴ ἐγίνωσκε τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, τίς ἦν, καὶ πόθεν εἰς τὸ σῶμα εἰς-εληλύθει, τοὺς τε προτέρον αὐτῆς βίους, καὶ τούτων πρόδηλα τεκμήρια παρείχε.*). Ubi tertio autem loco de ceremoniis agit Jamblichus religionibusque, quas ipse Pythagoras statuerit servandas, de animo corpori alligato sermonem habet. (Jamblich. § 153 — *καταδείξθαι τὸ θεῖον τῆς ψυχῆς εἰς τὸ σῶμα.*) Quod denique Jamblichus auctore philosophus disserit (Jamblich. § 108. 168. 169), animalia nobiscum conjunctione quadam teneri ideoque exceptione tamen admissa iis parcendum esse, id nequam praeter-eundum est eoque sine dubio ad Pythagoricam illam metempsychoseos doctrinam revocamus. Haec ipsa Pythagorae opinio eo magis per totam antiquitatem longe lateque diffusa erat, quo major erat auctoritas, quam apud veteres Pythagoras habebat¹⁾. Haec causa etiam fuit, cur et pedestris orationis scriptores et clarissimi poetae opinionem de animorum migratione persaepe imitando exprimerent, ut Ovidius (Metamorphos. l. XV, 158—175), apud quem Pythagoras de se ipso hosce versus fundit:

Morte carent animae; semperque priore relictæ
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.
Ipse ego, nam meminî, Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Haesit in adverso gravis hasta minoris Atridae.
Cognovî clipeum, laevæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur; nihil interit. Errat, et illinc
Huc venit, hinc illud, et quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet, ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est: animam sic semper eandem
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.

III.

Ubi primum Aegyptus patuit peregrinis, quicumque Graecorum in summum sapientiae fastigium emergere volebant, in mirificam istam terram proficiscebantur ibique optimarum artium vacabant studiis. (N. Bachius, Solonis Atheniensis carminum quae supersunt p. 40.) Quo factum est, ut et Pythagoras et Plato iter facerent in Aegyptum, ut sacerdotes audirent eruditissimos eorumque rerum divinarum et humanarum consequerentur scientiam²⁾. Neque igitur mirandum est, si in utriusque philosophi dictis varia cernimus vestigia aegyptiaca. Quod enim in Phaedone autumat Plato, philosophiam meditationem esse mortis, sacerdotes nos docent aegyptii, pro nihilo mortem esse habendam, sed veram vitam tum

¹⁾ Etiam ejus discipulis magnum honorem tribuebant veteres scriptores. Isocr. Busir. 11: *ἔτι γὰρ νῦν τοὺς προσπονο- μένους ἐκείνου (Pythagorae) μαθητὰς εἶναι, μᾶλλον σιγῶντας θανατούμεν, ἢ τοὺς ἐπὶ τῶ λέγειν μεγίστην δόξαν ἔχοντας.* A. Gladisch, Einleitung in das Verständniß der Weltgeschichte, 1. A.: Die alten Schinesen und die Pythagoreer p. 179.

²⁾ In dubium hoc iter etiam vocatum est. Cf. Heinrich v. Stein, sieben Bücher zur Geschichte des Platonismus. Gotting. 1862. 64. 2. B. p. 172: — Es handelt sich auch hier um die håkliche Entscheidung, ob der Aegyptische Aufenthalt mit Recht aus dem Plato heraus, oder mit geringerer oder grösserer Willkür in denselben hinein interpretirt ist. Und da will es mir denn scheinen, als ob zwar keine einzige Stelle die Möglichkeit des Aufenthaltes in Aegypten ausschlosse, aber auch ebenso wenig eine einzige denselben zu irgend welcher Wahrscheinlichkeit erhebt. — Unter den Berichterstattern tritt kein Führer als Hermipp auf. Diesem vindicare ich daher den Ursprung der Aegyptischen Reise des Plato, gleichviel ob er dieselbe mehr nur in der Form der blossen Vermuthung oder geradezu als dreiste Behauptung geäußert hat.

capturam esse initium, quum corpora in domos discesserint aeternas. Quod deinde in Phaedro aliisque dialogis pratum commemoratur, in quo iudices versentur, in papyris funebribus hieraticis hujus quoque campi mentio facta est. Ibi sedent rex inferorum Osiris ejusque quadraginta assessores: ille sceptrum tenet atque jus reddit de futura animi sorte, sententia lata animis integris et sanctis deinde licet in campos Elysios pervenire, malis contra loca poenarum assignata sunt. (Sai an Sinsin sive liber metempsychosis veterum Aegyptiorum e duabus papyris funebribus hieraticis signis exaratis nunc primum edid., lat. vert., not. adjec. H. Brugsch. Berol. 1851 p. 32 sqq.)¹⁾ Atque quod in Timaeo legimus, post decessum animum se conferre in sidus familiare, papyris perdiscimus hieraticis, corporis partem immortalem, sahu dictam ab Aegyptiis, una cum animo ad loca proficisci divina mutationibusque omnibus peractis in Orionis sidus contendere, animum tolli in coeli aspectum, partem contra mortalem corporis Horo comitante retineri in terra, ut futuro quondam tempore migratione de vitis purgata novum animum possit consequi, eaque de causa summa cura eam esse servandam, condiendam, in domibus aeternis includendam²⁾.

Hi vero sunt loci nonnulli, de quibus graeci philosophi et Aegyptiorum dogmata consentiunt, aliae eorum opiniones non itidem conspirant. Herodotum quidem secuti (Herodot. 2, 123: τὴν περιήλυσιν δὲ αὐτῆς (animo) γίνεσθαι ἐν τριετίοις ἔτεσι. Cf. A. Krische l. c. p. 66. H. Brugsch. l. c.) et veteres et recentiores scriptores opinati sunt, Aegyptios, ut Platonem in libris de Republica, certum tempus statuisse, quo animorum migratio locum haberet, sed tantum abest, ut hoc verum sit, ut generatim et universe de temporis longo spatio illi loquantur. Jam Champollion censuit (Champollion's Briefe aus Aegypten und Nubien, übers. von Gutschmidt p. 156) quod de trium milium annorum metempsychosi proditum esset memoriae, perperam interpretatos esse Graecos ad eamque opinionem eos fuisse adductos graecum et nisorum descriptione imagine expressa. Neque a Champollione discrepare videtur Brugschius, namque hic etiam papyro probare conatur, migrationibus ab Aegyptiis non tempus aeternum et definitum, sed diuturnum tantum fuisse assignatum (Brugschius l. c.: Voces enim aegyptiacae hah et gatan — proprie non aeternum significant, sed longum tantum quoddam tempus quemadmodum annulus aliaque symbola Aegyptiorum. Brevi autem vitae humanae spatio spectato illud tempus longissimum facile pro aeterno haberi potuit).

